

H. fol. 201^r.

Dei gratia Ficoclenensis episcopus G. confratri et coepiscopo salutem in Christo. Confidimus in domino et in potentia virtutis eius¹⁾, quia qui dedit vobis scientiam divinarum scripturarum habundanter, etiam concedet eternorum retributionem bonorum; et quia tantum virum et tam sapientem nostris negotiis dignum fore^{a)} credimus, idcirco has litterulas scriptitando mittere curavimus. Res etenim nostra vobis per legatos nostros omnimodo nota iterum iterumque replicari laboriosum duximus, aliquantulum etiam ex multis summotenus proferamus. Sunt quidam clerici et aliorum ordinum sacerdotes, qui adeo conati sunt ecclesiam nostram et honorem episcopatus nostri destruere^{b)}, quod etiam cum laicis conspirationes et scismata multa fecerunt. Unde nunc vestram benevolentiam deposcimus^{c)}, ut ad hanc litem extirpandam et iniustitiam eradicandam aures pietatis vestre sese aperiant. Pro certo etenim sciatis^{d)} remunerationem vos consequi et maximam amicitiam profuturam. *Scriptum quippe est in lege: non obturabis^{e)} os bovi trituranti²⁾*. Vale, karissime frater episcope.

Nr. 13.

Ein Ungenannter bittet einen Freund, ihm durch den Boten ein Pferd zuführen zu lassen.

Hs. fol. 201^{rv}.

Quoniam vestra societas in nostra amicitia, sicut potuit, semper manere desideravit et ea, que concupivimus, vestra dignissima persona nobis cotidie subministrare^{f)} curavit, ideo, dulcis amice, nostre parvitatis affectus ad vestram dulcissimam fraternitatem suum nuntium fiducialiter dirigere non dubitavit, ut vestre caritatis clementia equum suum per eum ad nos cito mittere non differat.

^{a)} fo *übergeschrieben* Hs. ^{b)} *dextruere* Hs. ^{c)} *deposcimus* Hs. ^{d)} *siatis* Hs. ^{e)} *korr. aus obturabis* Hs. ^{f)} *subminisstrare* Hs.

¹⁾ Vgl. Eph. 6, 10; 2. Thess. 3, 4.; Judith 4, 13.

²⁾ 1. Cor. 9, 9.